

NOTE
IN EVANGELICAS
LECTIONES, QVÆ PER TO-
TVM ANNVM FESTIS SANCTORVM
DIEBVS IN ECCLESIA CATHO-
LICA RECITANTVR.

OPVS AD PIE MEDITANDVM
ac simul ad precandum Deum accommo-
datum, & nunc primum in lu-
cem editum.

AUTHORE
R. P. PETRO CANISIO SOCIETATIS
IESV Doctore Theologo.



Cum peculiari Priuilegio Sac. Ces. Maiest. ad decennium.

FRIBURGI HELVETIORVM.

Ex officina Typographica Abrahami Gemperlini.

M. D. XCIII.



M A G N I F I C I S
N O B I L I B V S , R A R A Q V E
S A P I E N T I A E T V I R T V T E P RÆ-
ſtantibus viris, Dn. IOANNI MEIER, &
Dn. LUDOVICO AB AFRI, P RÆ-
T O R I B V S , totiq; ſpectabili S E N A T V I
F R I B V R G E N S I S vrbis in Neutonia, Do-
minis & Patronis admodum obſeruandis,
P E T R V S C A N I S I V S in
C H R I S T O I E S V
S. D. P.

NON ME P U D E T S A N E ,
nec paenitet , Ornatisſimi viri , priorem To-
mum nostrum de Notis Euangelicis inscri-
ptum , & in Republica vestrā confeſtum ,
haud ita pridem in lucem prodiſſe , p ræſer-
tim ut votis Cleri vestrī Friburgensis , quem honoris gratia no-
mino , ac ſimul officio meo collegis iuuandis debito , vt cunq; fa-
cerem ſatis . Quod ſi conatus ille , ut ferunt , gratias fuit lectori
bus , habeo certè cur aeterno Parenti , à quo tanquam fonte bo-
num omne dimanat , ex animo gratias agam , & ſimul mihi
gratuler de p ræſenti Lectorum benevolentia ac humanitate .



IN DIE FESTO SANCTI ANDREÆ APOSTOLL.

Sequentis Euangeli Argumentum.

CHRISTVS Euangelium sacrum prædicaturus, ad hoc enim à Patre fuerat destinatus, confert se ad mare Galileæ, quod à Luca stagnum Genezareth, & à Ioanne Tyberiadis mare vocatur. Vbi iuxta lictus ambulans, non otiosè versatur, sed studiosè primos quatuor colligit discipulos, quos deinceps eorum omnium, quæ publicè faceret ac doceret, domesticos veluti testes erat adhibitus. Primi duo dicuntur Petrus & Andreas, à Iona parente geniti, reliqui verò Iacobus & Ioannes filij Zebedæi patris, illiq; omnes bis germani fratres, ac fraterna interesse dilectione ita coniuncti, ut in manuali labore mutua opera se iuuarent fideliter, victumq; piscando ex lacu publico sibi quærerent. Tales verò ad munus Apostolicū hic eliguntur & vocantur à Christo, Galilæi népe piscatores, rudes, simplices, indocti, obscuri & egeni homines, nihil vt in illis eximium ac præclarum appareret. Eo facto significatum est, rei Euágelicæ fidei q; Christianæ primordia non ex hominum nobilitate, doctrina potentia, industria, prudentiaque pendere, sed admiranda summi Dei virtute constare, nullamq; hic laudis & gloriæ humanae partē carni vel mundo tribui oportere. Hoc est quod Paulus verbis illis indicat: Videte vocationem vestram fratres: quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt

Luc. 4.

Luc. 5.
Ioan. 6.

Matth. 16.

1 Cor. 1.